

vers. 58. & id genus alia. Hebraismi, *Amen, Emmanuel, Hosanna, Maranatha, Messias, Raca, Sebaoth*, & istius notæ quamplurima alia vocabula præter quæ innumeræ occurrunt phrasæ & loquendi modi, ex Hebræâ linguâ deducti ut lippis & tonsoribus notum; sed qui accurratè considerandi sunt, & quorum neglectus S. Literarum interpreti imponere posset. Exemplum unum ex multis, & passim cuilibet obvium ac notissimum subjungam. Theologi laureolam in mustaceo sibi reperisse videntur, cum tam anxie distinguunt has phrasæ, *credere Deum, credere in Deum, & credere Deo*. *Credere* quippe *Deum* inquit est credere aliquem esse Deum, cumque omniscium, omnipotentem, omnipræsentem, creantem, conservantem, dirigentem, justum, misericordem, æternum, &c: At *credere in Deum* est non solum credere Deum esse & quidem omnipotentem, omnipræsentem, misericordem, bonum &c. sed insuper totam spem & fiduciam salutis suæ in eò ponere; atque adeò credenti esse bonum, pro credente esse omnipotentem, erga credentem esse misericordem, atque omnia in ipsius commodum ac salutem dirigere: *Credere verò Deo* est ejus verbis assentire, eique fidem adhibere, quæ veritatem profitenti & loquenti præstanda; Primum competere ajunt, omnibus hominibus, ut & ipsis Dæmonibus, ex Jacob. 2: 19. Secundum Fidelibus tantum; atque nefas esse credere in creaturam puram, At hoc in Tertiò non obtinere, hominibus enim vera proferentibus credere licet. Ità omnes ferè unò ore: Cum interim *Credere Deum* nusquam mihi in Scripturâ occurrerit, & dici nequeat, nisi per Elliipsin vocula *esse* subintelligatur, vel jungatur, ut in allatò ex Jacobi Epistolâ locò: & *Credere in Deum* Hebraismus sit, qui tantum valet, ac apud Græcos & Latinos, *credere Deo*: unde etiam promiscuè in S. Literis dicitur credere in Deum, & Deo. Videbis Johan. 14: 1. Rom. 10: 14. I Petr. 1: 21. & 2: 6. Rom. 4: 3: 17. Gal. 3: 6. 2 Timot. 1: 12. ut etiam credere in Christum, & Christo. Loca sunt quamplurima, videantur. Johan. 2: 11. & 4: 39. & 5: 46. & 6: 35: 40: 47. & 8. vers. 30. 31: 45. 46. & 10. 37: 38: 42. Ex quò penultimò cit. cap. nostra sententia luce meridianâ clarius apparet, de iisdem enim utrumque dicitur: Nam postquam vers. 30. dixerat Euangelista, *Hæc illò loquente, multi crederunt in eum*, continuò subjungit versu sequente 31. *Dicebat ergo Jesus iis Judæis, qui crediderant ipsi: Si vos manseritis &c.* Quod posterius *credere ipsi*, idem esse, ac prius *credere in eum* ipsi suâ versione fatentur Theologi, qui jussu Præpotentium fæderati Belgii Ordinum S. Literas in vernaculum transtulerunt sermonem; vertunt enim τὰς πεπιστευκότας αὐτῷ qui [in] eum credebant. Denique ut ex abundanti pateat *credere in Deum* esse hebraicum, ac in eadem significatione in Scripturis dici *credere in creaturam* duos tantum ex Veteri Testamentò afferre placet locos. Unus est Exod. 14: 31. *Timuerunt populus ipse*  
*Jeho-*